

nostrorū Lactantius, & alij pleriq; demonstrare conati sunt, omnium autem clarissime, & luculentissime, doctissimus ille Galenus, demonstrauit libris illis uere diuinis (in quibus etiam seipsum superauit, qui in alijs omnibus superauit omnes) quos de usu partium humani corporis inscripsit. Quos etiam in laudem conditoris, & demonstrationem sapientiae, potentiae, & bonitatis eius scripsisse se praedicat, & hymnos creatoris appellat.

*Preter carnis intentionē esse, quod nos ad malum attrahat.*

*Carnem nihil peccare dū cōcupiscit cōtraria spiritui.*

*Cur caro peccati, et eius cōcupiscētia peccatum dicatur ab Apostolo.*

*Etia litteralem legis intelligētiam carnē uocari.*

Quod autem ad malum nos caro attrahat, praeter eius intentionem est: neq; enim, ut diximus, uelut pars bruta quaedam, capax est, seu inicitiae, seu iniustitiae; sed, ut res quaeq; alia, ut suae naturae afficitur sibi amicis, suauibus, & salutaribus; & abhorret a cōtrarijs. Quod dū facit, nihil illa mali facit, hoc enim facit qd unū accepit a cōditore, ut faceret. Sed male facit illi inhabitās aīa, quae dei seruitute abiecta, carnis se desyderijs mancipat, & relicto creatore, uili creaturae sibi in mancipium tradita, se indignissime subdit. Vniuersa itaq; haec culpa, non carnis, sed illi se submitētis, & mancipantis est animae. Quia tamen, ex peccato originis, quemadmodum mox aperiemus, est illa carnis aduersus spiritum pugna, & rebellio, & quia ea, uelut instrumento quodam, aduersarius noster diabolus utitur ad subiiciendum iugo peccati hominē, carnem peccati, & corpus mortuis illam appellat Apostolus: quomodo, & concupiscētiam eius, hoc est, uim illam concupiscibilem eidem innatā, peccatum: quod dicit in carne sua habitare, quemadmodū supra prolixius explicauimus.

Preterea, ut familiare est Apostolo, spiritui, carnem opponere, in lege autem distinguat, spiritum uiuificantem, a littera occidente, hanc ipsam, secundū analogiam quandā, carnis uocabulo significari, & a Christo, et ab Apostolo insolens non est. Itaq; ille, cum ex carnali uerborum suorum, de man-